BAPTISTAE GVARINI IVN. ORATIO.

AD SERENISSIMVM VENETIARVM PRINCIPEM PETRVM LAVRETANVM,

Pro Illuſtriſ. atque Excellentiſ. Duce Ferrariæ Venetiis publice habita XVIII. Kl. Ian. 1567.



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

VENETIIS,

Apud Andream Rauenoldum.

M. D. LXVIII.

199

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, ATQVE REVERENDISSIMO S. R. E. CARDINALI

HIPPOLYTO ESTENSI.

Baptiſta Guarinus Iun.

ORATIONEM, quam proximis diebus in legatione ad Sereniſsimum Venetiarum Principem habui Cardinalis ampliſsime, apud me cuſtodire ita decreueram, vt quo ipſa loco nata fuerat, mecum in eodem quoque conſeneſceret: ea tantum ſuſcepti oneris glorioſi contentus, quę quidem à propria conſcientia, tacitoq; mei Principis iudicio proueniret. Cum vero multi, & ii quidem clariſsimi viri, quorum voluntati diutius obſiſtere, nec omnino fuiſſet honeſtum, nec fortaſſe facile, eam à mę ſummis precibus efflagitaſſent; videremque nimis laborioſum opus mihi ſubeundum, ſi manu ſcripta tot eius exemplaria promulgare voluiſſem, eam confeſtim excudendam curaui, vt hac ratione, quamprimum fieri poſſet amicorum deſiderio ſatisfacerem. Id autem mihi in primis curæ fuit, vt illa ſub tuo nomine in publicum exiret, tum propter meam erga te incredibilem & quaſi mihi ab Alexandro Guarino magno Patruo, præceptoreq; meo hæreditariam obſeruantiam: tum etiam vt ſi nulla alia ratione tuis penè innumerabilibus beneficiis parem gratiam referre poſsim, beneuolentiam ſaltem erga me tuam exiguo hoc grati animi teſtimonio proſequi videar. Tu enim ex eo tempore, quo ſtudiorum meorum patrocinium ſuſcepiſti, ita ſemper de me optime meritus es, vt ſi quid vnquam in illis profecerim, id omne tanquam tuum tibi iure optimo referendum exiſtimauerim. Hos igitur fructus, ab ingenio, ſi non natura feraci, labore ſaltem exculto, & tanquam tuo ſemine editos accipe: certoq; ſcias tunc verè omnes exiſtimaturos, orationem hanc meam in lucem prodiſſe, cum illi radius tuę benignitatis affulſerit. Vale.

CVM te (Sereniſſime Princeps) non ſine incredibili Dei op: max: prouidentia, in hoc ſupremo tantæ Reipublicæ faſtigio conſtitutũ intueor; ueſtraq; (Patres ampliſſimi) in hoc Principe deligendo diuina propè conſilia mecum animaduerto, uereor ne dum uobis Illuſtriſſimi Ferrarienſium Principis nomine gratulandi munus aggredior, mihi potius dolendum ſit, quòd cum ego nec uſu rerum, nec ingenij acumine, nec dicendi copia tanti ordinis maieſtati reſpondere minime ualeam; infœlici quodam meo fato ad tam præclarum munus obeundum acceſſerim: Nam licet ea ſemper fuerit cum ſumma ueſtra authoritate iuncta benignitas, ut uel in publicis, uel in priuatis rerum negotiis ampliſſimus hic ad dicendum aditus unicuique ſemper patuerit, in hoc tamen præclaro laudis curriculo, ubi non res, ſed gloria quæritur, nomenq; potius, quàm dicentis utilitas periclitari ſolet, nimis certe temerarius eſſem, ſi ingenij mei uiribus ſatis mihi quidem perſpectis, tanti loci dignitatem attingere non extimeſcerem. Quis enim laudes eminentiſſimi Principis, in Republica præſertim longe omnium præclariſſima, atque, ut ita dicam, in hoc terrarum orbis miraculo? aut quis incomparabilem Illuſtriſſimi Ducis noſtri lætitiam, propenſamque erga hanc Rempublicam uoluntatem non dicam uerbis exprimere, ſed mente quoque concipere ualeat? Etenim, ut illud taceam ita natura comparatum eſſe, ut quemadmodum cœleſtia corpora ad conſeruandam hanc orbis machinam mutuis amicitiæ legibus conſpirare uidentur, ita optimi Principes ad moderanda, tuendaq; uiciſsim imperia tàm arcto inter ſe uinculo connectãtur, ut quicquid alteri uel proſperum, uel aduerſum acciderit, alteri quoque contigiſſe facile credant, hoc certe tibi perſuadeas uelim (Sereniſs. Princeps) inter eos Principes, ad quos celeberrima tui nominis fama penetrauit, neminem eſſe, cui merito tuus hic fœliciſsimus ad principatum aſcenſus maiorem attulerit lætitiæ cauſam quàm Illuſtriſsimo Duci noſtro, qui cum propter incredibilem in hunc ordinem obſeruantiam per tot annos arctiſsimo nõ minus animi, quàm imperij uinculo, paciſque fœdere conſeruatam, ſecunda omnia, atque proſpera huic Reipublicæ à Deo op. max. ſemper optauerit; rationi certe conſentaneum eſt, hoc tàm præclarum decus florentiſs. huic ciuitati diuinitus traditum tanto maiori ab ipſo, quum ab aliis uoluptate exceptum fuiſſe, quanto id magis ad propriam, quàm ad aliorum fortunam, atq; fœlicitatem pertinere uidetur. Nec uero eſt quòd tu putes, ingentem hanc lætitiam cum ab omnibus paſsim, tùm ab eo maxime ob id fuiſſe conceptam, quòd quaſi ſperato (ut ſolet) euentu te uirtus ad tãtam dignitatem euexerit. Te enim Principem non modo uniuerſa hæc ciuitas, ſed qua longè, láteque patet huius urbis imperium bonorum omnium uoces, priuſquàm horum patrum ſuffragia deſignarunt. Te Senatus omnis, nobiliſsimaque horum procerum corona quem occultis toties animis deſtinauerant aperto nunc Principem uenerantur obſequio. Huiuſmodi præmia (Sereniſs. idemque optime Princeps) huiuſmodi inquàm præmia ueræ uirtutis gloria ſibi uendicat. Tu enim proprijs (ut ita dicam) auſpiciis ampliſsimum tibimet ad ſummam hãc dignitatem iter aperuiſti: ita ut ſi quid Principe maius hac in Republica deſiderari poſſet, ad id etiam facile tua te uirtus

[illegible]ocere potuiſſet. Quæ cum ita ſint, ut hoc tantum gaudium tuorum meritorum com memoratione celebretur, te etiam, atque etiam obſecro, ut me de tuis uirtutibus uer ba facientem æquo animo uultuque compoſito audias. Et ſi tibi fortè quæ tua eſt in- credibilis animi magnitudo proprias audire laudes moleſtum fuerit, eas mihi tamen apud te hodie quamuis inuitum recenſere liceat, ut hac ratione ſaltē clariſsimis hiſce patribus ſatisfacere poſsim, quorum quidem uirtus, cum te tantū Principem coopta uerint, in tua quodammodo uirtute gloriaque renidet. Cum inter omnes ferè artes, quibus non modo priuata hominum, ſed Principis quoque uita inſtituitur duæ ſint (Patres ampliſsimi) quæ principem locum iure ſibi optimo uendicant, nimirum ars militaris, & ciuilis ſcientia, neminem certe miraturum arbitror, ſi quantum homo cæteris animantibus præſtat, tantum ſupra belli ſcientiam pacis artes excellere con ſtantiſsime affirmauero. Quid enim aliud in ciuitate bene diſpòſita moliri debet uio lentus armorum, belliq́ue ſtrepitus, niſi ut armis aliquando depoſitis, pacem huma- næ naturæ propriam, atq́ue congenitam aſſequamur? Id autem, ſi res tam clara te- ſtimonio indiget, ueterum nobis exempla ſatis demonſtrant. Quid enim Romulo ad propagādum Romanorum imperium profuiſſet tot gentes immanitate barbaras, la- trociniis, omniq; ſcelere infames in unum ueluti aſyllum redactas armare, niſi eaſdē ſanctiſsimis legibus Numa Pompilius, utpote ferociſsimi populi temperata ſæuitie, ardoreq́ue belli extincto, pacem excolere docuiſſet? Equidem cum tot clariſsimarum urbium clades, tot funditus euerſa imperia, tot rerum publicarum inſælices euentus memoria repeto, nulla alia de cauſa ad interitum delapſas uideo, niſi quia nimis in- ſano armorum deſiderio ductæ, pacatam omnino uiuendi rationem neglexerint. Et ut alias taceam, quid de Romana ipſa mihi Republica dicendum eſt? quæ cum ar- mis uniuerſum terrarum orbem ſuis parere legibus coegiſſet, ipſa tamen fatali qua- dam miſeria propriis uti neſciret; cumq́ue foris armata tot prouincias in ſeruitu- tem redegiſſet, domi tamen inermis propriam ipſamet tueri libertatem non poſſet: ita ut dum nimio ambitionis ſpiritu alieno ſemper inhiaret imperio, uel inteſtinis odiis agitata, uel immaniſsima tyrannide oppreſſa, honeſto nunquam otio frueretur. Hinc te longe omnium maximam, præclariſsimisq; legibus decoratam Rempublicam iure optimo ueneramur, quæ licet in hoc ſupremo fælicitatis gradu, nec bellici tibi appa- ratus, nec inuicta potentia, nec generoſi ſpiritus deſint; cum tamen ueram dominan- di rationem in pace conſtitutam eſſe cognoueris, eam tu omnibus ſemper officiis, in- genio, ſapientia tantopere excoluiſti, ut pace tu magis, atq́ue conſilio, quam armis alij, belloque formidabilis euadas; præclaroq́ue bene regnandi exemplo terrarum orbi propoſito, multæ non ſolum ex finitimis, ſed barbaris etiam gentibus, quæ quie- tem agere neſciunt, à te certe pacem didicerint. Mihi igitur tanti Principis laudes hodierna die celebranti, non ambitioſi armorum apparatus, non bellicæ fortitudinis gloria, non erepta ab hoſtibus trophæa dicenda ſunt, ſed ſumma in rebus gerendis prudentia, maxima in iudiciis æquitas, incorrupta in omnibus fides, atq; religio præ dicanda; ut mirum nemini uideri debeat, ſi Reſpublica tantopere pacis amica te pa cis amatorem Principem elegerit: quemadmodum enim tu, ut tanti ordinis non ar- matus, ſed togatus Princeps euaderes arma nunquam attrectaſti, ſed pacis artes ſemper exercuiſti; ita etiam non ui, non fraude, non armis, non affectata tyrannide, non militum fauore tantam dignitatem es conſecutus, ſed ſummo ſapientiſsimorum

Patrum conſilio, atque prouidentia ipſa principatus dignitas te potius inuitum, ac propè fugientem adepta eſt. Hæc tua igitur fuerunt arma Sereniſſime Princeps, in quibus ſane tractandis ſi nobiliſsimæ tuæ gentis hiſtoriam, & ueterum monumenta recenſeo, præcipuam tibi quandam militandi rationem, diſciplinamq́ue fuiſſe comperio: Maximum enim ac uelutí hæreditarium gloriæ certamen, opinione hominum de tuis uirtutibus mirificè auctum, tibi à maioribus tuis relictum fuit, qui cum per longam temporum ſeriem multa domi, foriſq́ue geſſerint, neſcio an ſibi ipſis plus gloriæ quàm tibi cōtētionis pepererint: Ea enim eſt Patres ampliſsimi nobilitatis conditio, ut qui eam à maioribus ſuis accepit, non minus oneris quàm honoris ſuſtineat; ea quoque ſeueritas, ut auitum ſplendorem, niſi ab ipſis poſteris accendatur, in tenebras conuertere ſoleat. Quod ſi quemadmodum Natura ipſa ad conſeruandas rerum omnium ſpecies iniuriam temporis perenni quadam ſucceſsione uindicat, ita nobilitas ad maiorem uirtutem in poſteris propagandam æternitatem ipſam æmulari uidetur: profectò non minus ingrati nomine cenſeri debet, qui à maioribus ſuis degenerando antiquam in ſeipſo uirtutis imaginem obſcurauit, quam ſi ab ipſa parente rerum natura neceſſarium procreandi uſum ſuſtulerit. Multi igitur Sereniſsime Princeps, in tua familia præſtantiſsimi floruerunt Imperatores, qui cum armis egregiam huic Reipub. operam ſemper nauarint; multo ſudore, & ſæpe etiam ſanguine terra, mariq́ue Principatus gloriam quæſiuerunt: quorum quidem illuſtris, ac peruagata fama, tamquam acerrima tui nominis aduerſaria tibi bellum indixit, taleſq́ue generoſæ æmulationis ſtimulos excitauit, ut uix ſuſtineri poſſe ab omnibus crederetur: Tu tamen in hoc certamine ab ineunte ſemper ætate non aliis armis quàm propria uirtute fretus, ita fortiter, & egregie dimicaſti, ut dum priuatè nixeris, & antiquum LAVRETANAE domus ſplendorem, & maximam de te ſpem concitatam optime ſuſtinueris. At uero poſtea quam in ſublimi hoc dignitatis gradu collocatus fuiſti, præclariſsimam certe de illis uictoriam reportaſti, tanto præſertim maiori tuę uirtutis pręconio, quanto admirabilius uideri debet ſenatorem inermem de tot armatis ducibus triumphaſſe. Sed cum in laudibus maximorum hominum, ipſa quoq́ue maiorum facta enumerari ſoleant; uetuſtiſsimo tuę gentis exordio altius repetito, numeroſam tot illuſtrium ſenatorum ſeriem certe non reticerem, quorum quidem ſingularis, & egregia uirtus à me nullo modo diſsimulari poteſt: inter quos, procurator Petrus, Princepſq́ue Leonardus, uterq́ue domi, foriſq́ue clarus, rem Venetam, LAVRETANVMq́ue nomen tantopere illuſtrarunt; niſi tu mihi ſolus (Sereniſsime Princeps) ad tuas laudes celebrandas ampliſsimam dicendi materiam ſubminiſtrare poſſes. Cum uero tot mihi, tantarumq́ue ſeſe offerat tuarum uirtutum cumulus, unde nam ſumam exordium, aut ubi finem imponam? ſi omnes perſequi pro dignitate uoluero, prouinciam nimis arduam, & meis certe uiribus imparem ſuſtinebo; Quid igitur faciam? unica tantum de tuis pene innumerabilibus, unica inquam ſed tamen pręclariſsima uirtus, et quę omnes alias in ſe ipſa contineat, à me hodie celebrabitur. Fortitudinem igitur, temperantiam, magnanimitatem, prudentiam, & reliquas artes, quibus ipſa pax alitur, atq́ue tuetur de induſtria nunc reticebo: Dicam tantum de tua ſingulari innocentia; multis, magniſq́ue rebus ſpectata animi integritate, quam ſanctiſs. mihi nunc Iuſtitię nomine appellare libet. Ego equidem (Patres ampliſsimi) cum ſępenumero; quę ſit uera Principis

uirtus diligenti mecum examine perpendere ſoleam, nullam mehercle nec præſtantiorem, nec magis neceſſariam bonitate ipſa comperio: Reliquæ enim omnes, & ſi eum maxime decent, ad exornandum tamen potius animum, quam ad neceſſarium eius, ac præcipuum munus concurrere uidentur: Etenim in omnibus iis moderandis, atq; regendis quæ ad perfectam eius, ac ciuium fœlicitatem pertinent, alieno ſemper miniſterio, atque opera ſubleuari poteſt: Non enim deſunt, qui eum uel conſilio in rebus arduis, uel diligentia in negotiis, uel labore in periculis iuuent: Non deſunt qui leges ſanciant, magiſtratus inſtituant, ius exerceant, ciuitatem cuſtodiant, ſacra miniſtrent: & ut uerbo dicam nihil eſt, quod Princeps ſi non propria, aliena ſaltem induſtria non poſsit aſſequi; Sed innocentiam, integritatem, iuſtitiam nemo certe niſi ipſe ſibi impertiri poteſt: ipſe ſibi artifex, ipſe conſultor, ipſe ſibi ſolus auxiliator euadit. Neque ea ſane de cauſa Princeps in ciuitate potiſſimum conſtituitur, ut quemadmodum ſupra omnes authoritate eminet, ita etiam nimis operoſe, & ut uerius dicam indignè quæcunque ad ciuitatem pertinent ipſe agat, ſed potius, ut ipſos agentes dirigat, & tanquam mens in corpore ciuitatis membra diſponat, ſaluti ciuium conſulat, legum authoritatem integram, atque inuiolatam cuſtodiat, omnes in officio contineat, proprio exemplo iuuet, paternaque beneuolentia proſequatur: quæ omnia proculdubio præſtare minime poterit, niſi ſumma animi integritate præditus, in omnibus ſemper honeſtè, rectèque ſenſerit. Cæterum ſi diuina potius prouidentia, quàm humano conſilio Principes eliguntur, præſtantiſſimi certe omnium cenſeri debent ij, qui naturæ diuinæ magis adhærent; Etenim inter ea nomina, quibus Deus ipſe inſigniri ſolet, nullum profectò nec magis proprium, nec ipſi diuinitati magis accomodatum infinita eius immenſaque bonitate Theologi adhuc inuenire potuerunt; Non enim quia incredibili quadam uirtute, ſapientiaque præditus, nihil ſit quod uel non poſsit, uel in ſeipſo non cognoſcat, atque intelligat; ſed ſolum quia optimus eſt, cuncta uel terrena hæc, uel celeſtia prudentiſſime moderatur: Ab immutabili enim eius, æternaque bonitate neceſſariam quoque in rebus emanare prouidentiam crediderunt. Hanc igitur præſtantiſſimam, ac propè diuinam uirtutem (Sereniſſime Princeps) tanta ſemper conſtantia amplexus es, ut ea tu non minus, quam uitali ſpiritu uixeris: Nulla enim tuæ uitæ pars, nulla ætas, nulla uel in priuatis rebus, uel in publicis actio ſine ipſa tibi unquam eſſe potuit: Nam in comitiis, cum ad magiſtratuum electionem conuenires, nullæ te unquam blanditiæ, nulla te ambitio, nullus nec amicitiæ, nec affinitatis nexus à recta animi conſcientia deflectere unquam potuit, quin optimis tu ſemper ſenatoribus præſtò eſſes. Si uero in ſenatu ſententiam diceres, mirabile dictu eſt, quanta integritate tua redoleret oratio, quàm iuſtitiam, pietatem, religionem præ oculis ſemper haberes, quàmque communem utilitatem propriæ ſaluti anteponeres: At uero cum in Decemuirum collegium cooptatus fueris, pròh Dij immortales quàm caſtè, quàm incorrupte, quàm religioſe iudicia protuliſti: Ita enim facile perturbationibus animum denudaſti, ut ingenio minime pertinaci, in alienam etiam, ubi opus fuerit opinionem ſæpius iueris; tanto præſertim erga omnes caritatis inſtinctu, ut non ſolum æquitate ipſam legum duritiem mitigares, ſed magiſtratus etiam ſeueritatem propria benignitate lenires. Quæ omnia cum Patres iſti optimi, calidiſſimique hominum eſtimatores optime cognouiſſent, admirabilemque tuam hanc animi præſtantiam non mediocre quoddam, ſed

ſublime uirtutum omnium decus aſſecutam, teque ſupra naturam humanam ad heroicam peruenisse iam perſpexiſſent, te non inter numeroſam magiſtratuum ſeriem, tanquam præcioſiſſimum quoddam theſaurum deliteſcere uoluerunt, ſed heroica dignitate heroico, ac propè diuino ſenatori collata, in ſublimi te tanti ordinis uertice collocarunt. Hic, hic (Sereniſs. Princeps) hic inquam ſolus tuæ uirtuti magiſtratus debebatur: Cæteri omnes anguſti, ac minime capaces loci fuerunt. Et ſi diuinis exemplis humana nobis comprobare licet, tu Sereniſs. PETRE angularis illa petra uideri potes; quæ quidem ab iis opificibus non reprobata, ſed in nobiliorem uſum reiecta, in nulla alia admirabilis huius ædificij parte, quàm in hac ſuprema accomodari poterat. O incredibilem bonitatis, atque iuſtitię uim: O ſingularem innocentis animi præſtantiam: Tu quod alij innumerabiles multo ſudore, uigiliis, induſtria conſequi nō potuerunt, tu inquam ſolus ſine ambitu, ſine fallacia propriis auſpiciis adeptus es, omneſque ad hanc metam properantes unico hoc exemplo docere potes, ut pacem, iuſtitiam, ueritatem, manſuetudinem omnibus ſemper ſtudiis amplectantur.

Fœliciſſimam igitur (Patres ampliſſimi) diem illam uobis illuxiſſe dicendum eſt, in qua tanti ſenatus Principem ueſtra ſuffragia pepererunt: Nam ſi præclari facinoris conſcientia, maximorumque in Rempublicam meritorum memoria iocundiſſima eſſe ſolet, quod nam gaudium (Patres ampliſſimi) ueſtris inſidere animis credendum eſt; cum nihil fœlicius, nihil præſtantius, nihil denique bono Principe maius neque ab ipſo Deo op. max. hominibus concedi poſſit? Nulla de tot ueſtris uirtutibus (mihi credite) quibus hæc tanti moles imperij ſuſtinetur, nulla inquam nec maior, nec admirabilior prudentia eſſe poteſt. Præclariſſimam enim ciuitatem a fundamentis erigere, imperij fines producere; bellorum impetus ſuſtinere potentiſſimam claſſem comparare, cuncta armis, ducibus, opulentia cuſtodire, & ſi omnia ueſtris auſpiciis geſta ſunt, uix ea tamen ueſtra opera cenſeo; quæ uel multa hominum induſtria, uel innumerabilium penè rerum concurſus tantum adiuuerint; ſed principem optimum eligere, in cuius uirtute totius imperij, ueſtraque omnium ſalus reponitur, hoc certe ueſtrum opus iudico; cuius ſanè gloriam non temporum uiciſſitudo, non militum labor, non bellici apparatus, non fortunæ temeritas, ſed ueſtra ſolummodo uirtus, ueſtraque prudentia ſibi uendicat. Iure igitur optimo (Sapientiſſimi patres) ingenti uobis lætitia exultandum eſt, cum ſcilicet eum principem intueamini, qui quantum ab hac dignitate ſplendoris, et gloriæ mutuatur, tantū in eandē propria uirtute refundit: Eum principē, qui cum olim ſenator ſummi principis imaginem preſeferret, nunc princeps maximi ſenatoris officij non ſit oblitus: Eum inquam principem, qui cum in uita priuata nihil unquam niſi Reipublicæ utilitatem reſpiceret, nunc in maximo Reipublicæ faſtigio nihil minus affectet, quàm priuato inſeruire commodo, proprio conſulere beneficio, cuius quidem cum ſuprema uirtute clariſſima iuncta nobilitas, in aduerſis tollerantia, in ſecundis modeſtia, in rebus arduis uigilantia, fortitudo, prudentia, in omnibus denique ſumma iuſtitia uſque adeo prædicatur, ut non obſcure fateantur omnes, uos in eius perſona ueri quodammodo principis exemplar palam propoſuiſſe, ut qui ad nobiliſſimam hanc metam ſummis contendunt uiribus, fœliciſſimi huius tanquam curſoris ueſtigia perſequatur. Tibi uiciſſim (Sereniſsime princeps) ſummopere lætandum eſt: nam cum nihil mehercle optabilius, nihil principatus dignitate præſtantius excogitari poſſit, utpotè in quem natura homi-

nis, tãquam in finem humanarum actionum, ac ueluti perfectiſsimæ uirtutis teſti-monium ferri ſolet; in hac tamen Republica tanto iocundior eſſe debet, quantum hæc omnes alias quotquot unquam fuerunt magnitudine, uetuſtate, potentia Reſpu-blicas antecellit: In ea tu enim principatum adeptus es, quæ cum has eaſdem ſedes, unde prius exordium duxit per tot ſeculorum ſeriem ad tantam molem erexerit, Ro-manæ non minus æmula gloriæ, quàm libertatis uindex, amiſſum decus Italiæ repa-rauit: In ea Republica quæ cum toties terrarum orbis bello flagrauerit, tot fundi-tus ciuitates, ac regna conciderint, ſola ueluti quoddam Italiæ pacisque propugna-culum inconcuſſa remanſit: In ea inquàm Republica, quam mutuæ libertatis deſide-rium genuit, inuicta uirtus educauit, ſancta religio cuſtodiuit, recta regnandi ratio propagauit, ſumma prudentia, fortitudo, iuſtitia deniq́ue conſeruauit, & auxit. In ea demum Repub. ubi nec pax ad uſum armorum eneruat animos, nec armorum temeritas pacis tranquillitatem perturbat, ſed uirtuti nunquam potentia, authori-tati iuſtitia, ſapientiæ uigilantia defuit. Sed ut iam unde prius eſt orſa in eodem terminetur oratio mea, Tibi (Sereniſs. princeps) uobisq́ue omnibus ampliſsimi pa-tres de communi hoc ſibi, uobisq́ue commodo Illuſtriſs. Dux noſter ſummopere gratu-latur. Nos autem quemadmodum antiqua inter uos amicitiæ fœdera, mutuus impe-rij nexus, & pręcipua eius in hanc Rempublicam obſeruantia poſtulat, quęcunque ad ueſtram ſalutem dignitatem, amplitudinem pertinere uidebuntur, quę quidem ab eius opera, cura, diligentia pręſtari poſsint, uires, ingenium, opes omnia tanquàm nobis communia, omni tempore, in quacunq́ue fortuna eius nomine pollicemur. Et ſi modo cumulus tãtarum rerum, ſummaq́ue huius imperij fœlicitas augeri poteſt, aut ſi quid te principe reſtat amplius, quod hęc ciuitas deſiderare poſsit, Deum op. max. ſummopere precamur ut quicquid fauſtum, fœlixque uobis di-uina prouidentia pollicetur, id in tuo principatu properan-tibus ueluti fatis contingat; ut quemadmodum tu apud pręſentes eminentiſsimi huius loci di-gnitatem auxiſti, ita apud poſteros tanto fœlicitatis, & glorię in-cremento celeberrimi tui nominis fama de-coretur.

W